

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

II  
25.

SIGNAT. CLVCCCCXIII.

Insumt:

1. Lengnich, De Polonorum maioribus 1732
2. " " " confederationibus 1735
3. Schultz, G. P., Historia entregni in Pussia Polonica 1738
4. Lengnich, De religionis chr. in Polonia initis. 1734
5. Schött, Pussia christiana. 1738
6. Jaenichen, Notia bibliothecae Thorun. 1723
7. Seyfried, De Hussi ortu re. 1729
8. Ludwig, Historia Saxoniae 1724
9. Frisch, Origo characteris slavonici 1727
- 10-13. " Historiae linguae slavonicae contin. 1-4. 1727-34

LIBRARIUM  
MUSEI  
MUSEI

GOETHE-UND  
SCHILLER-MUSEUM  
WEIMAR



71

HISTORIAE LINGUAE SCLAVONICAE  
CONTINUATIO SECUNDA

CONTINENS

HISTORIAM DIA-  
LECTI VENEDICAE  
MERIDIONALIS

SIVE

VINIDORUM IN PROVINCIIIS  
AUSTRIAE VICINIS

NIMIRUM

IN CARINTHIA, STIRIA, CARNIOLA, ISTRIA  
ET MARCHIA VINIDORUM  
OCCASIONE ORATIONIS

QUAM

IN GYM. BERLINENSI, DIE XIX. OCTOBR. A. MDCC XXIX.  
HORA X ANTE MERID. POST PUBLICAE INTRODUCTIONIS ACTUM  
HABEBIT

NOVUS SUB-CON-RECTOR

DN. CHRISTIAN. GUILIELM. GRO TJAN.  
MAGDEBURG.

AD QUAM AUDIENDAM

*Amplissimos & Spectatissimos Patronos;*

Summe Venerandum Ephorum; Plurimumque Reverendos  
Eccles. Ministros, Cunctosque Gymnasii Reique Scholasticæ

Fautores demisse & officiosissime invitat

JOHANN. LEONHARD. FRISCH. RECT.

BEROLINI LITTERIS, CHRISTIANI ALBERDTI GABBERDTI.



HISTORIAE LINGUAE SÆ MONICAE  
 COLLEGIUM SÆ LINDA  
 CONTINENS  
 HISTORIAM DIA-  
 LECTI VENERICAE  
 MERIBIONALIS  
 VINDORUM IN PROVINCIIS  
 IUSTRIAE VICINIS  
 IN CARINTHIA, STIRIA, CARNIOLA, ISTRIA  
 ET MARCIS VINDORUM  
 OCCASIONE ORATIONIS  
 QUAM  
 IN GYMNASIO DIE XIX OCTOBRI A. MDCCXXIX  
 HORA X ANTE MERIDYEM PUBLICA INTRODUCTIONE ACTUS  
 HONORIS  
 NOVISSIMO CONRECTOR  
 DN. CHRISTIANI WILHELMI GROJAN  
 MAGISTRUM  
 AD GYMNASIUM  
 Auctoritate & Spectamine Patronus;  
 Summo Venerabilium Episcopum, Landgravium & Electores  
 Bossi, Marchionis, Ducum, & Principum Regum & Electores  
 P. Auctoritate & obsequio Invitavit  
 JOHANNI LEONHARDI FRISCH RECTOR  
 P. Auctoritate & obsequio Invitavit  
 P. Auctoritate & obsequio Invitavit





Germaniæ viciniam versus omnes cæli plagas præter occidentalem, jam olim Venedi occuparunt. Hæ vero in limites patriæ nostræ migrationes varia obscuritate involutæ sunt, magna ex parte vel tacente vel nugante horum temporum historia. De hoc solo non disident auctores, quod Venedi sive Heneti, ut Herodotus (in Clio) eos vocat, partim e remotioribus provinciis & regnis, Bulgaria, Servia, Bosnia, Dalmatia & Illyria ad nos venerint, partim etiam e vicina Polonia. Harum enim gentium dialecti hoc testantur; Quarum pleræque ad Bohemicam, & ad cæteras magis accedunt; quædam ad Polonicam; & cum illis omnes linguam Sclavonicam tanquam communem matrem agnoscunt. Multæ vero causæ sunt, cur lingua Venedica tam diu nobis ignota, & una cum gente sua tam contempta jacuerit. Præcipue earum sunt: 1) Quia Venedi tam diu idolorum cultui dediti, & hinc Germanis ad Christum conversis perodiosi fuerunt, ut eos Venedicos canes appellarint. 2) Quia Germanorum limites, qui ab iis & vicinis populis ob mutuum metum vasti relicti erant, magna multitudine occuparunt, hasque incertæ possessionis terras sibi attribuerunt. Unde deinde 3) Germaniam sæpius invaserunt, viciniamque vexarunt; ut Imperatores nostri Comites limitaneos sive Marchiones, limitum custodes, adversus eorum impetum constituere cogentur. 4) Quia à fide Christiana aliquoties defecerunt; Christianorum Sacerdotes occiderunt, & multa crudeliter fecerunt. 5) Quia victi ad tam sædam servitutem redacti sunt, ut a natione hac Sclavonica nomen Sclavorum, apud omnes fere vicinos Germaniæ populos, commune mancipiorum nomen, apud Germanos ipsos vero Venedorum nomen in hoc significatu manserit: adeo ut nec opifices eos in collegia sua, nec filios eorum in numerum tyronum admiserint,

) 2

Hic

Hic linguæ Venedorum neglectus non cessavit post conversionem eorum ad Christianam Religionem, & post receptionem in sinum Ecclesiæ: Sed duravit à Carolo M. fere usque ad Caroli Vti tempora. Postquam vero puriores Evangelici luminis radii ad illos penetrarunt, etiam linguæ eorum cultura inceptra est. Et quidem primo apud Venedos meridionales, deinde apud reliquias eorum septentrionales. Quam divisionem harum gentium à ratione situs, respectu Germaniæ sumptam, hic præterendam duxi. Non tamen neglectis aliis divisionibus, nimirum ob characteris scripturæ divisionem, in Venedos qui Latino, & qui Germanico characterē utuntur: Vel ob viciniam, in eos qui Austriæ, & qui Saxoniam vicini sunt: Vel ob prononciationem, in eos qui frequentiore sibilum amant, & qui eo non delectantur. Ad dignitatem & splendorem quarundam Slavonicæ linguæ dialectorum in hac historia earum continuatione respicere non possum. Nam Poloniæ & Bohemiæ idiomata hic locum suum habere deberent. Quæ inter magnæ hujus matris filias, capita extulerunt

Quantum lenta solent inter viburna Cupressi.

Sed animadvertens insignem harum linguarum culturam & per tot Virorum doctorum scripta & elogia commendationem, ad Venedicas dialectos tanquam ad neglectiores descendi, & dicam hæc vice aliquid

*De Dialecto Venedorum Meridionalium, sive Austriæ vicinorum.*

Hæc sicut & cæteræ, culturam suam primam & maximam Viris Augustanæ Confessionis debet. In tribus Austriæ Archiducatus provinciis, Stiria, Carinthia & Carniola olim Characterē Glagolitico usi sunt. Quem in programmate, quo hanc, quam nunc continuo, Linguæ Slavonicæ historiam exorsus sum, accuratius descripsi. Deinde usum hujus dialecti commodiorem & communiorem fecit Vir celeberrimus primus Truber, Germanus inter hos Venedos natus, nomine & omine pri-



primus. Fuit enim primus Evangelicæ puritatis præco in Carniola, & primus qui de cultura hujus dialecti sollicitus versionem sacrae Scripturae & aliorum in Ecclesia necessariorum librorum pro viribus promovit; Fuit primus qui has gentes usum characterum Latinorum, toti Europæ fere communium docuit, & ob has causas tanquam alter Cyrillus de Sclavonica Lingua optime meritis, primis etiam laudibus ornandus est. Debemus ei tanquam prima novæ methodi Venedicam scribendi dialectum meridionalem specimina:

1. Evangelia Dominicalia & Fest. cum Epistolis.
2. Novum Testamentum D. N. J. C.
3. Catechismum. 4. Psalterium. 5. Cantionum Ecclesiast. libellum. Omnia ab anno 1553. usque 1561. Labaci in Carniola edita.
6. Librum qui continet ordinem rerum in Eccl. agendarum Viennæ impressum.

Vivente adhuc Trubero. Magister Georgius Dalmatinus Anno 1568. etiam Vet. Testamenti versionem aggressus est. Et publicavit latinis literis An. 1578. Pentateuchum. Anno 1581. vero integri codicis versionem absolvit & approbantibus Viris doctis, quorum examini ea proposita est, Anno 1583. impensis Ordinum provincialium Carniolæ, Witebergensi typographiæ tradita. Anno 1584. ipsis Calendis Januarii prodiit. Hac versione utuntur Venedi etiam Pontificii in hunc usque diem: Quia aliam in illis provinciis non habent. Et ob hanc causam apud nos rarissime invenitur. De exemplari quod in Bibliotheca Witebergensi est, multi audiverunt, ut Regenwolscius sive Wengerscius hist. Eccl. Slav. Prov. l. 1. p. 40. pauci tantum viderunt hanc Versionem, pauciores eam ipsi possident. Hinc exemplar, quo post longam spem potitus sum, inter pretiosiora secundæ fortunæ dona numero. Succurrit labori Truberi & Georgii Dalmatini, Adamus Bohoritsch, qui eodem anno 1584. librum in 8. Witebergæ edidit, cujus titulus est, Arcticæ horæ

successivæ de Latino-Carniolana literatura, In quo non tantum rationem pronunciandi & alia quæ ad Grammaticam pertinent monstravit, sed & Lexicon addidit ad probandam cognationem Linguae Carniolanæ cum Russica, Polonica, Bohemica & Croatica. In Bibliis ipsis vero Georgius Dalmatinus Indicem Vocabulorum subjunxit, quæ in dialectis vicinorum a Carniola differunt, ut:

1. Corofchki (in Carinthia)
2. Slovenski (in Sclavonia sive Illyria)
3. Harwatfcki (in Croatia)
4. Dalmatinski (in Dalmatia)
5. Istrianski (in Istria) sive Cratsfcki (in majore Istriae parte, quæ Germanice Karst dicitur.)

Post Truberi obitum iidem ordines Carniolæ provinciales Lutheri Postillam Anno 1595. prelo Tubingensi dederunt. Sed zelus perversus Thomæ Crœnii qui Trubero in Carniola tanquam persecutor ejus & hostis omnium Ecclesiæ Lutheranæ reliquiarum successit, cursum Evangelii & simul culturæ Venedicæ Linguae in his terris diu impedivit. Omne Scripturæ Sacræ lumen non potuit extinguere, quia Sclavonicæ nationi linguae suæ usus in cultu divino a Pontifice Romano permissus est. Hinc Evangelia Dominicalia cum Epistolis in vernaculam Carniolanam versa, ipse denuo edidit, Græzii. Et alius, nomine Mich. Mikez Catechismum Carniolanum 8. Augustæ Vindel. eum figuris ligno incis. Ann. 1615. Cessavit tamen pristinus ardor post hanc persecutionem, & præter Petri Canisii Catechismum qui Anno 1624. iterum prodit, nihil in Lingua Carniola invenio usque ad Annum 1672. quo Joh. Ludovicus Schönleben Evangelia & Epist. quæ Crœnii cura olim prodierunt, correxit & iterum edidit Græzii, 8. Hunc multi Romano-Catholici deinde secuti sunt, & varios libellos publicaverunt, e. c. Bratouske buquize Suetiga Roshenkranze, i. e. Brüderchafft-Büchlein des Heyl. Rosenkrantz Græzii 8. 1687. Math. Casselz. Modus juvandi agonizantes in Latina & Carniolana Lingua. Ne-

Nebeschki Zyl, tu je premischlowanie teh suetih ozschakou.  
Himmlich Ziel, das ist / Betrachtungen der Heil. Altväter. Laibach.  
1684. 8.

Kratki Sapopadek potrebnich Katoliskich naukou. Kurzer Be-  
griff der notürfftigen Catholischen Lehre / An. 1685.

Nauk Christianski, i. e. Praxis Catechistica Ann. 1686. v.  
Valvasor Tom II. p. 360.

Venedis meridionalibus, sive incolis Carinthiæ, inferioris  
Stiriæ, & trium partium Carniolæ, e quinque illis in quas pro-  
vincia hæc divisa est, nimirum 1) Mëttlingæ Parochiæ ad quam  
XVIII. pagi pertinent. 2) Partis Istriæ, & 3) districtus qui di-  
citur Germanice Karst, adnumero etiam Marchiam Vinidorum  
( Windisch-Marc. ) sive Partem Illyriæ. Hujus enim incolæ à  
Germanicis Scriptoribus subinde vocantur: Die Wenden in  
Illyrien.

Horum quidam ad Evangelicam sive Lutheranam, ut vocant,  
religionem accesserunt. Anno 1584. Agenda eorum ecclesia-  
stica Witebergæ prodierunt. Qua occasione etiam caracte-  
rem Latinum receperunt, quo deinde Romæ & Venetiis mul-  
ti libri in Illyrica lingua in lucem venerunt. ut

Grammatica Illyrica. Romæ 1604. 8.

Franciscus Glavinich teste Valvasore Tom. II. 352. col.

b. n. 2. diversorum Libellorum in hac lingua auctor est.  
Barthol. Cassii Vitæ Jesu Christi, & B. Virg. Mariæ Illyri-  
ce, literis latinis. Rom. 1638. 8.

Petri Ribadenyra de Vita Jesu Christi Rom. 1638. 8.

Psalterium Davidis Illyrice Venetiis. 1638. 4.

M. Mascisi Medit. de Passione Jesu Christi. Venet. 1672. 8.

Joh. Johannitii fasciculus Florum Variorum, Lingua Il-  
lyrico-Dalmatica. Venetiis. 1685. 8.

Huic Illyrico-Dalmaticæ literaturæ promovendæ succurrit in-  
ter primos,

Faustus Verantius S. Cæsareæ Maj. a Secretis Hungaricis,  
Dictionario quinque nobilissimarum Europæ linguarum  
lat. Ital. Germ. Dal-

Dalmat. & Ungaricæ Ann. 1595. Venetiis. 4. Qui sub finem  
addidit multa vocabula Sclavonica quæ Ungari sibi usurparunt.  
Item Symbolum Apostolorum & Orationem Dominicam in  
his quinque linguis. Hoc Verantii Dictionarium deinde ex-  
scripsit & auxit

Petrus Loderekerus Pragensis, in Vocabulario suo sex Lin-  
guarum. in 4. oblongæ formæ,  
cujus prima pars est Latino-Italico - Dalmatico-Bohemico-Po-  
lonico-Germanico-Ungarica. Secunda Italico-Latina. Ter-  
tia Dalmatico - Latina &c. Pragæ. Ann. 1605.

Ceterum Venedi sive Vinidi etiam in Hungaria utraque  
sunt. Superioris Hungariæ oppida primaria, potissimum ea  
quæ vocant montana (*die Bergstädte*) cives Venedos Germa-  
nis mixtos magno numero habent, ut Schemnitzium, Crem-  
nitzium, Neosolium &c. Germani illorum dialectum appellant  
Vinidicam, (*Windisch*) eamque a teneris discunt. In agris  
vero hæc natio omnia replet. Ex his tertia pars Venedorum  
optime constitui potest, nempe Orientalis. Quia vero apud  
eos, præter sermonem vulgarem & domesticum, nulla Vene-  
dicæ linguæ cultura est, eorum in hac historia non potui rati-  
onem habere. Utuntur tantum libris in Bohemicam diale-  
ctum versis, etiam in Ecclesiis Evangelicæ religionis. Ubi de  
hoc defectu Pastores harum Ecclesiarum, & primaria membra  
(eum sub finem superioris seculi Neosolii Ecclesia Germano-  
rum mea qualicunque opera in sacris publice uteretur) sæpius  
valde querentes sibi que invicem eum exprobrantes, alteram-  
que partem alterius negligentiam, quod libros nullos verte-  
rint, & avaritiam, quod sumrus non suggesserint, subinde  
accusantem audivi. Horum Vinidorum non exigua portio,  
quæ Poloniae vicinior est, etiam dialecti Polonicæ sibi ab aliis  
distinguuntur. Orationem denique Dominicam in hanc diale-  
ctum meridionalem versam proximæ occasione reservo, qua  
historiæ dialecti Lusatiae utriusque etiam alias versiones hujus  
orationis subjungam, additis emendationibus earum, quas a di-  
versis auctoribus male exscriptas inveni.

\* \* \*


orig. Aug II 25



TA 202  
(M-13 d. l.)

E





71  
HISTORIAE LINGUAE SCLAVONICAE  
CONTINUATIO SECUNDA  
CONTINENS

HISTORIAM DIA-  
LECTI VENEDICAE  
MERIDIONALIS

SIVE  
VINIDORUM IN PROVINCIIIS  
AUSTRIAE VICINIS

NIMRUM  
IN CARINTHIA, STIRIA, CARNIOLA, ISTRIA  
ET MARCHIA VINIDORUM  
OCCASIONE ORATIONIS

QUAM  
IN GYM. BERLINENSI, DIE XIX. OCTOBR. A. MDCC XXIX.  
HORA X ANTE MERID. POST PUBLICAE INTRODUCTIONIS ACTUM  
HABEBIT

NOVUS SUB-CON-RECTOR  
DN. CHRISTIAN. GUILIELM. GRO TJAN.  
MAGDEBURG.  
AD QVAM AUDIENDAM

*Amplissimos & Spectatissimos Patronos;*  
Summe Venerandum Ephorum; Plurimumque Reverendos  
Eccles. Ministros, Cunctosque Gymnafii Reique Scholasticæ  
Fautores demille & officiosissime invitat

JOHANN. LEONHARD. FRISCH. RECT.

BEROLINI LITTERIS, CHRISTIANI ALBERTI GAEBERDTI,

